

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (22)

4.9.3. De Constitutionibus necessario retractatis

4.9.3.1. De Capitulo speciali anni 1921

Cum nulla spes esset, quā illae novae Constitutiones anno 1920^o exaratae Romae approbarentur, novi labores hac in re suscipiendi erant. Itaque iam Kalendis Decembribus a. 1920ⁱ archiabbas Norbertus Weber epistulam circularem ad omnes capitulares misit, quā eos in diem 15^{um} m. Dec. a. 1920^o ad consultationes faciendas in archiabbatiam Ottiliensem convocavit.¹ Illā invitatione enumeravit omnes quaestiones, de quibus in illis consultationibus praevisis necessario sermocinandum eis erat, nempe de termino Capituli generalis, quo Constitutiones retractandae erant, de quaestione delegatorum, de philosophico studio futurorum clericorum Ottilianorum, de extentione Congregationis.

Plerique autem capitulares regulares illo tempore in Germaniā versabantur. Nam etiam episcopus Thomas Spreiter interea ex Africā orientali in patriam revererat.² Itaque illo conventiculo mensis Decembris a. 1920ⁱ capitulares consilium ceperunt mense Martio a. 1921ⁱ Capitulum intermedium specialeque instituere, quo imprimis Constitutiones tractandae et hunc in modum Capitulum generale praeparandum essent. In antecessum autem denuo commissiones quaedam in textum incumbere et mutationes necessarias exarare atque praeparare debebant.³ Ipse Thomas Spreiter etiam tales labores praeparatorios suscepit.⁴ Tamen hōc non est mirandum, cum īdem erat unus ex illis, qui maxime critice de Constitutionibus anni 1920ⁱ egerant.

Die autem 2^o m. Mart. a. 1921^o ipsum Capitulum intermedium⁵ inchoatum

-
- 1 *Cfr* Norberti Weber epistula circularis Kal. Dec. a. 1920 ad capitulares directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).
 - 2 *Cfr* supra cap. 4.8.2.1.1.
 - 3 *Cfr* Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 158.
 - 4 Hoc apparet ex diario Thomae Spreiter. - *Cfr* ex. gr. Tagebuch 11.1.1921 (ASO, A.1.8.1), ubi refert se inspectionem Constitutionum inchoavisse, quam usque ad diem 2^{um} m. Mart. a. 1921^o finire deberet.
 - 5 Hōc Capitulum intermedium non numeratur inter Capitula generalia. - *Cfr* Godfrey SIEBER (1992), p. 157; Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 109 adn. 218.

est, quod tunc in abbatiā Suarzacensi instituebatur.⁶ Participaverunt hunc conventum ipse archiabbas Norbertus Weber, abbas Placidus Vogel Suarzacensis, abbas Coelestinus Maier Swickersperchiensis, episcopus Thomas Spreiter et Praefectus Apostolicus Villibrordus Lay⁷ eorumque secretarii.

Illis diebus capitulares intento animo in Constitutiones retractandas incubuerunt. Fundamentum autem laborum erant Constitutiones anni 1913ⁱ, quibus inter consultationes praesertim illae adnotationes insertae sunt,⁸ quas Abbas Primas Fidelis von Stotzingen iam anno 1919^o exaraverat.⁹

Illud vero Capitulum speciale erat bipartitum. Cum enim Pascha instaret, omnes participes domum reverti voluerunt, ut hoc festum summum in monasteriis suis domesticis celebrarent. Itaque Capitulum die 11^o m. Mart. a. 1921^o ad tempus interruptum est.

Quamvis Capitulum nondum ad finem adductum esset, tamen Norbertus Weber medio mense Martio iam epistolam circularem «ad omnia monasteria domosque Congregationis nostrae» misit,¹⁰ quā de consultationibus habitis

6 De Capitulo intermedio breviter solum agunt Godfrey SIEBER (1992), pp. 157 sq.; Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 109 sq.; Viktor DAMMERTZ: Die Leitgedanken bei der Redaktion der Konstitutionen unserer Kongregation. *In*: Leuchter I (21979), p. 364.


7 *Cfr* Norberti Weber epistula circularis m. Mart. a. 1921 ad omnia monasteria domosque Congregationis directa [*Der Erzabt von St. Ottilien an alle Klöster und Häuser unserer Kongregation*] (ASO, K.3.1). - *Cfr* etiam Godfrey SIEBER (1992), p. 158. - Videtur autem error irrepsisse, cum Cyrillus SCHÄFER (2005), p. 109 effectum consultationum commemorans scribit mutationes quasdam Constitutionum debitas esse praesentiā Thomae Spreiter et Bonifatii Sauer. Tamen Bonifatius Sauer hoc Capitulum intermedium non participaverat, id quod unā ex parte ex epistolā circulari Norberti Weber supra indicatā apparet, qui expressis verbis scripsit Bonifatium Sauer venire non potuisse, alterā ex parte etiam manifestatur epistolā Thomae Spreiter die 19 m. Mart. a. 1921 ad Bonifatium Sauer directā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19), quā Thomas Spreiter ei de Capitulo Suarzacensi refert (quod necessarium non fuisset, si Bonifatius Sauer adfuisset).

8 Thomas Spreiter epistolā die 19 m. Mart. a. 1921 ad Fidelim von Stotzingen datā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.4) Abbati Primati refert se ad Capitulum speciale commentarios Abbatis Primatis attulisse atque ad unumquodque prunctorum eius adnotationes praelegisse, quae mutationes paene omnes acceptae essent. - De modo progrediendi *cfr* etiam epistula Thomae Spreiter die 19 m. Mart. a. 1919 ad Bonifatium Sauer data (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19).

9 *Cfr* Fidelis von Stotzingen: Statuten der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien (Entwurf) (21.3.1919) (ASO, K.1.1). - De hac re *cfr* supra cap. 4.9.2.3.

10 *Cfr* Norberti Weber epistula circularis mense Martio a. 1921 ad omnia monasteria domosque Congregationis directa (ASO, K.3.1).

breviter referret. Ibīdem autem aperte explicuit, quomodo factum esset, ut Constitutiones anni 1920ⁱ repulsam acceperint. Imprimis duas epistulas Abbatis Primatis commemoravit, quibus īdem unā ex parte ea, quae in Constitutionibus reprehendenda erant, enumeravit,¹¹ alterā ex parte causas attulit, cur institutio delegatorum in Constitutiones recepta approbari non posset.¹² Copias illarum duarum epistularum Abbatis Primatis Norbertus Weber epistulae suae circulari subiunxerat, ut omnes easdem inspicere valerent. Praeterea archiabbas rettulit de consultationibus, quas ipse mense Iunio a. 1920ⁱ Romae propter Constitutiones habuit et quibus clare percepit Constitutiones anni 1920ⁱ neque quoad formam neque quoad argumenta approbatum iri. Unde apparuit necessitas urgens, quā Constitutiones retractarentur. Deinde modum progrediendi, quem capitulares in Capitulo speciali sequebantur, demonstravit.¹³



Norbertus Weber

*circa quinquaginta annos agens.
[ASO, Archivum imaginum.]*

11 *Cfr* epistula Fidelis von Stotzingen die 28 m. Iul. a. 1920 data (ASO, K.3.1; ASO, A.2.2.1). - De hac epistulā fusius *cfr* supra cap. 4.9.2.3.

12 *Cfr* epistula Fidelis von Stotzingen die 26 m. Ian. a. 1921 ad Norbertum Weber directa (ASO, K.3.1; ASO, A.2.2.1). - Hac in epistulā Abbas Primas existimavit illam quaestionem, num praeter praelatos delegati singulorum monasteriorum «*cum voto decisivo*» ad Capitula generalia acciendi essent, esse maximi momenti. Secundum ipsius sententiam, quam variis argumentis historicis, iuridicis et ad monasteria Benedictina et ad ipsam ecclesiam spectantibus confirmavit, in Capitulo quodam generali tantummodo abbates et Priores conventuales votum decisivum habeant oportet, alii ut consultatores acciri possunt. Generaliter autem ipsum tales delegatos cum voto decisivo Romae commendare non posse, insuper institutionem talium delegatorum tantummodo indulto speciali Sanctae Sedis fieri posse.

Ceterum scitū dignum est Norbertum Weber iam die 29^o m. Dec. a. 1920^o epistulam ad Fidelem von Stotzingen direxisse (ASO, Z.1. (Asien)), quā eum rogavit, ut argumenta valida contra delegatos exhiberet, quae Conventui suo offerre posset. Hōc in conexū Norbertus Weber iam nonnulla puncta proposuit, quae omnia Abbas Primas deinde in epistulā suā secutus est.

13 *Cfr* Norberti Weber epistula circularis mense Martio a. 1921 ad omnia monasteria domosque Congregationis directa, p. 3 (ASO, K.3.1), ubi fundamenta retractationis enumerat haec: 1. Constitutiones anni 1913ⁱ, 2. dispositio Constitutionum anni 1920ⁱ (in

Tamen erant inter Ottilianos quidam, qui de existimatione Abbatis Primatis et de ipsā retractatione Constitutionum indignabundi erant. Quod Constitutiones anni 1920ⁱ reprobabantur, praesertim Abbati Primati opprobrio dederunt, cui nimius spiritus Beuronensis esset,¹⁴ sed etiam archiabbati responsalitas hac in re attribuebatur.¹⁵

Pausā ergo interpositā Capitulum speciale inde ab die 12^o m. Apr. usque ad diem 16^{um} m. Apr. a. 1921^o continuabatur in abbatiā Swikkerperchiensi.¹⁶ Illis diebus de Constitutionibus iam mutatis iterum consulebatur et labores incohati conficiebantur. Etiam secundā parte Capituli specialis finitā archiabbas alteram epistolam circularem scripsit¹⁷ de effectu laborum et de nonnullis punctis in Constitutionibus mutatis breviter referens.¹⁸ Praeterea annuntiavit novum propositum Constitutionum mox missum iri, ita ut omnes monachi sollemniter professi sententiam suam exhibere valerent. Proposita autem singulorum capitularibus Capituli generalis praebitum iri, qui textum Constitutionum definitive redigerent.¹⁹ Ceterum usque ad promulgationem

qua multa utilia invenirentur), 3. adnotationes scriptae, quas Norbertus Weber ex consultationibus Romanis attulerat, 4. scriptae adnotationes criticae Abbatis Primatis, 5. fusa dispositio Constitutionum, quam Abbas Primas anno 1919^o exaraverat, 6. relationes et rogationes, quae in consultationibus anno 1920^o praevisis erant prolatae, 7. vota et rogationes, quae ad Constitutiones mutandas ante Capitulum generale anni 1920ⁱ allatae erant.

14 Sic Thomas Spreiter in diario suo die 9 m. Apr. a. 1921 (ASO, A.1.8.1) refert se a P.re Lucio (Roth) de Constitutionibus interrogatum esse, qui ipse doleret, si Constitutiones anni 1920ⁱ abicerentur atque «systema Beuronense» institueretur, cum Abbas Primas firmissimus Beuronensis esset. Secundum P.rem Lucium bonum esset illas Constitutiones sine voto Abbatis Primatis Romae praeberi, quae tunc certe approbarentur. - Ipse Thomas Spreiter eodem loco existimavit paene omnes difficultates inde provenire, quod archiabbas nimis diu cunctatus esset Constitutiones (scil. anni 1913ⁱ) Romam mittere. De hac dissensione *cf.* supra cap. 4.9.2.3.

15 *Cfr.* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 110; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 151.

16 Ipsi dies secundae partis Capituli specialis apparent ex epistolā circulari, quem archiabbas conventū finito miserat (ASO, K.3.1). Solum mensem Aprilem indicant Godfrey SIEBER (1992), p. 157; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 109 et adn. 218.

17 *Cfr.* Norberti Weber epistula circularis in fine m. Apr. a. 1921 ad Congregationem directam (ASO, K.3.1).

18 De ipsis mutationibus *cf.* infra cap. 4.9.3.2.

19 Capitulum generale die 22^o m. Nov. a. 1921^o convocatum iri in fine huius epistolae circularis, p. 3 (ASO, K.3.1) annuntiabatur.

novarum Constitutionum Constitutiones anni 1913ⁱ manserunt validae,²⁰ ut archiabbas eodem loco affirmavit.

4.9.3.2. De ipsis Constitutionibus

Cum Constitutiones in Capitulo speciali retractatae atque mutatae essent eae, quae deinde ab capitularibus maximā ex parte acceptatae erant, easdem hōc locō statim breviter inspicere volumus.²¹

Primo dicendum est novas Constitutiones,²² quod attinet ad formam exteriorum, bipartitam mansisse,²³ id est divisas esse in Declarationes, quae spectant ad unumquodque monasterium et unumquemque monachum et quae capitula Regulae Sancti Benedicti sequuntur,²⁴ et in Statuta, quae ad totam Congregationem spectant et quibus specialiter condiciones quōque missionis tractantur.²⁵

Statim autem in initio Declarationum - sicuti mos est - scopus externus totius Congregationis esse dicitur «*opus missionis ad exteros*».²⁶ Quia vero «*Con-*

20 Praeter illas partes, quae iuri canonico contradicerent.

21 Breviter has Constitutiones anni 1921ⁱ earumque sortem futuram Godfrey SIEBER (1992), p. 189 commemorat, sed idem in singula argumenta mutationesque non incumbit. - Cfr etiam Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 109 sq., qui pauca puncta mutata exhibet et explicat.

22 Ceterum textum Latinum Constitutionum anni 1921ⁱ exaravit P. Chrysostomus Schmid (de quo infra fusius), ut apparet ex adnotationibus, quae in frontispicio textūs manuscripti legitur (ASO, K.3.1, GK 1921 b).

23 Haec bipartitio generalis quidem iam invenitur in Constitutionibus anni 1920ⁱ, tamen causa, cur iterum sic factum sit, videtur potius in eo esse, quod Abbas Primas Fidelis von Stotzingen in commentatione suā anni 1919ⁱ, quae ad Constitutiones Ottilianorum spectabat, huiusmodi divisionem admonuerat. Cfr Fidelis von STOTZINGEN: Statuten der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien (Entwurf) (21.3.1919) (ASO, K.1.1).

24 Quod attinet ad illam partem asceticam, Norbertus Weber in epistula circulari in fine m. Apr. a. 1921 data, p. 1 (ASO, K.3.1) explicuit haec: «*Ubi laxatio disciplinae non erat timenda demendo vel mutando locorum, qui minus apte compositi erant, iidem debebantur vel ita redacti sunt, ut severitates, quae fortasse in textū conici potuerunt, amoverentur. Alterā ex parte capitulares responsalitatit suae conscii, quam quoad Congregationem et quoad spiritum monasticum in eādem sustentandum habent, putaverunt necessarium esse, ut hic ibique pars quaedam textūs reciperetur, quae Congregatione crescendā fidem regulae servare eandem adiuveret.*» - Textus originaliter Theodiscus.

25 Cfr Constitutiones Congregationis Ottiliensis O.S.B. pro Missionibus exteris (1921) (ASO, K.1.1), pp. 1 sqq.: Declarationes, pp. 65 sqq.: Statuta. (Textus originaliter Latinus). - Cfr etiam Norberti Weber epistula circularis in fine m. Apr. a. 1921 missa, p. 1 (ASO, K.1.3.1), qui ibidem hōc quōque explicuit.

26 Constitutiones 1921, Decl. 1, can. 3, p. 2 (ASO, K.1.1).

*gregatio Ottiliensis membrum est amplissimi P.S. Benedicti Ordinis», generalis methodus missionaria immediate verbis exprimitur, cum legatur «illos Congregationis nostrae missionarios, qui in regionibus exteris laborant, nonnisi qua Benedictinos huic operi inservire posse».*²⁷ Magni quoque momenti est praescriptum, quo «*nullum suscipi potest opus, nisi consonum cum externo Congregationis nostrae fine, i.e. cum opere Missionis eiusque subsidio*».²⁸

Sed convertamus nunc ad partem Statutorum,²⁹ cum ibidem in comparatione propositi anni 1920ⁱ plures mutationes factae sint, quae illo tempore maioris momenti erant ad approbationem prospere exspectandam.³⁰

Primo commemoranda sunt ea, quae ad régime totius Congregationis spectant. Idem enim constabat ex Capitulo generali³¹ et ex archiabbate eiusque consilio.³² In comparatione propositi anni 1920ⁱ mutatio est in eo, quod nunc - uti antea iam fuerat - munera archiabbatis Ottiliensis et Superioris generalis iterum coniungebantur.³³ Quamvis ergo archiabbas Ottiliensis caput Con-

27 Constitutiones 1921, Decl. 1, can. 4, p. 2 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus. - Idem etiam in Constitutionibus anni 1920ⁱ dicitur, sed brevius (*cf* ibidem, Decl. 1, §§ 1 et 2, p. 2 (ASO, K.1.1)).

28 Constitutiones 1921, Decl. 1, can. 5, p. 2 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus. - *Cfr* Constitutiones 1920, Decl. 1, § 5, p. 2 (ASO, K.1.1), ubi aliis verbis similia dicuntur.

29 In initio Statutorum (tit. I, cap. 278, p. 65) leguntur haec: «... *omnia monasteria ... formant Congregationem, cuius est titulus: Congregatio Ottiliensis O.S.B. pro Missionibus exteris. Haec Congregatio dedicata est Sacratissimo Cordi Iesu et Sanctae Ottiliae.*» - Textus originaliter Latinus. - Haec condicio est quadamtenus nova, quia antea Sancta Ottilia in dedicatione non apparuerat.

30 Ipsa Statuta constant ex undecim titulis, quibus centum quinquaginta septem canones (nr 278-434) continentur.

31 Capitulo generali - ut in canone 287 legitur - «*summa et universalis totius Congregationis nostrae auctoritas competit.*» - *Cfr* etiam tit. II, can. 344, pp. 78 sq. (ASO, K.1.1).

32 Constitutiones 1921, tit. II, can. 287, p. 68 (ASO, K.1.1).

33 «*Ut singula monasteria Congregationis nostrae coniuncta atque conexa maneant, Archiabbas Ottiliensis per se est caput totius Congregationis*» (Constitutiones 1921, tit. II, can. 288, p. 68 (ASO, K.1.1)). - Textus originaliter Latinus. - Itaque condiciones omnino aliter disponebantur ac in Constitutionum proposito anni 1920ⁱ, can. 177,3, p. 51 (ASO, K.1.1). Norbertus Weber in epistulā suā circulari in fine m. Apr. a. 1921 data (ASO, K.3.1) etiam hanc mutationem commemoravit explicans capitulares existimavisse causas unionis personalis graviore esse quam causas munerum separandorum. Illas causas tamen non exhibuit. Rem autem ipsam tantummodo in conexū delegatorum attulit. Nam iidem ut participes Capituli generalis in Constitutionibus anni 1921ⁱ non iam providebantur. Una

gregationis esset, tamen expressis verbis reservatio profertur, «*ut autonomia singulorum monasteriorum et Superiorum Ecclesiasticorum integra maneat*». ³⁴

Praeterea in comparatione Constitutionum anni 1913ⁱ, quae fundamentum retractationis erant, régime Congregationis hunc in modum mutatum atque ampliatum est, ut archiabbati Consilium quoddam, quod dicebatur, adiunctum est, quod constitit ex duobus abbatibus assistentibus, qui ab sodalibus Capituli generalis eligendi erant, et ex secretario atque ex procuratore Congregationis.³⁵ Munus horum abbatum assistentium - satis generaliter dictum - erat in eo, ut in rebus gravioribus decernendis eorum consensus

causa huius mutationis - ut scripsit - erat in eo, quod institutione delegatorum introducta eisdem quoque ius archiabbatis eligendi contribuendum esset, cum tunc essent participes Capituli generalis cum voto decisivo atque repraesentantes totius Congregationis. Sed Congregatione magis crescenda etiam numerus delegatorum augeretur, quomodo iura conventualium Ottiliensium in Superiore suo eligendo nimis coartaretur. - Cyrillus SCHÄFER (2005), p. 109 adn. 220 hunc locum epistolae circularis aliter percepisse videtur, cum scribat Norberti Weber argumenta pro unione personali munerum archiabbatis atque Superioris generalis vix intelligibilia esse, quia iure Superiorum Congregationis ad archiabbatem eligendum separationi munerum non dissuadeatur. Tamen hoc loco epistolae non agitur de unione personali munerum neque de Superioribus Congregationis, sed de delegatis.

34 Constitutiones 1921, tit. II, can. 288, p. 68 (ASO, K.1.1). Similiter etiam tit. I, can. 279, p. 65.

Scitū autem dignum est, quae de Superioribus Ecclesiasticis dicuntur. Nam tit. VI, can. 378, p. 87 leguntur haec: «*Episcopi et Vicarii Apostolici Monachi quidem nostrae Congregationis permanent, sed non sunt Capitulares monasterii professionis suae. Submissi manent S. Regulae ac Constitutionibus et quamvis nulli Superiori regulari subsint, nihilominus votis adstringuntur neve dispensationibus utuntur nisi eis, quae muneri ac dignitati conveniunt.*» - Textus originaliter Latinus.

35 Cfr Constitutiones 1921, tit. II, can. 311 sqq., pp. 72 sq. (ASO, K.1.1). - Abbates assistentes in Constitutionum proposito anni 1920ⁱ iam inveniuntur (cfr ibidem Stat. 200, pp. 62 sq.

In epistula sua circulari in fine m. Apr. a. 1921 data, p. 1 (ASO, K.3.1) Norbertus Weber inter res recenter introductas etiam Consilium atque abbates assistentes commemoravit et hoc Consilium cum Senioratu alicuius monasterii comparavit. De abbatibus assistentibus scripsit eos, cum secundum Constitutiones ab monachis suis essent abbates electi, percipiendos esse Congregationis personas fiducia affectos. Tamen subiunxit hanc sententiam esse generaliter valentem, etiamsi Congregationis abbates praesentes non essent electi, sed instituti. Hoc spectabat imprimis ad abbatem Placidum Vogel et ad abbatem Coelestinum Maier, qui in Germaniam degentes primi abbates assistentes futuri erant. De conditione, qua iidem ab monachis non erant electi, cfr supra capp. 4.7.1.1., 4.7.1.2.

requireretur et ut archiabbate absente eius vices gererent.³⁶

De iuribus atque obligationibus archiabbatis ut capitis Congregationis plura dicebantur.³⁷ Generaliter vero «*archiabbatis est imprimis bono communi totius Congregationis pro viribus providere et omnia negotia, quae spectant ad totam Congregationem, gerere. Hoc munere fungitur tum quoad interna ... tum quoad externa.*»³⁸ Itaque eidem etiam commune aerarium Congregationis administrandum erat, quod ab aerariis singularum abbatiarum et singularum monasteriorum differebat.³⁹ Tamen archiabbas ut Superior archiabbatae Ottiliensis etiam eius aerarium administrandum habuit.

Magni autem momenti secundum perceptionem Norberti Weber erat quaestio delegatorum, quā in re - id quod raro factum est - eiusdem sententiae erat ac episcopus Thomas Spreiter. Propter hanc unanimatem videtur contigisse, ut delegati ex Constitutionibus anni 1921ⁱ disparuerunt.⁴⁰ Nam in conexū Capituli generalis enumerantur eiusdem participes, nempe «*a) cum voce deliberativa Archiabbas, Abbates regiminis, Priores conventuales, Superiores ecclesiastici Missionis nostrae Congregationi commissae aut ipsi aut eorum delegati; b) cum voce consultativa Secretarius et Procurator Congregationis et Secretarii, quos Capitulares adhibent.*»⁴¹ De delegatis ergo singularum conventuum in ipsis Constitutionibus non iam quicquam legebatur. Tamen Norbertus Weber in alterā epistolā suā circulari hanc mutationem explicuit afferens imprimis causas pecuniarias et technicas,⁴² sed etiam iura ipsorum conventualium Ottiliensium, quae in archiabbate ut eorum proprio Superiore

36 Praeterea abbatum assistentium erat visitationem canonicam archiabbatae peragere. - *Cfr* Constitutiones 1921, tit. II, can. 315, p. 73 (ASO, K.1.1).

37 *Cfr* Constitutiones 1921, tit. II, can. 291-307, pp. 69 sqq. (ASO, K.1.1).

38 Constitutiones 1921, tit. II, can. 291, p. 69 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

39 De aerario Congregationis deque iis rebus, quae ex eo solvendae erant, *cfr* Constitutiones 1921, tit. VII, can. 414-415, p. 95 (ASO, K.1.1).

40 Omnino aliter in Constitutionum proposito anni 1920ⁱ, ubi Stat. 206,1 e, p. 64 leguntur haec: «*1. Membra Capituli gen. cum voce deliberativa sunt: a) Archiabbas ... e) unus delegatus e quacumque regione. Qui eligitur a monachis sol. professis eius regionis.*» (ASO, K.1.1) - Textus originaliter Latinus.

41 Constitutiones 1921, tit. III, can. 325, p. 75 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

42 *Cfr* Norberti Weber epistula circularis in fine m. Apr. a. 1921 data, pp. 1 et 2 (ASO, K.3.1). - Explicuit Norbertus Weber ibidem ex. gr. propter Congregationem crescentem sumptūs itinerarios pro delegatis erogandos fore nimios.

eligendo minui noluit.⁴³

Tamen Norbertus Weber putavit institutionem delegatorum non effectam compensari eo, quod electio Superiorum monasticorum in regionibus missionariis attribueretur monachis, qui illi regioni assignati sunt, ut in epistolā suā circulari scripsit.⁴⁴ Cum enim Superiores monastici generaliter etiam Superiores ecclesiastici fierent, desideria missionariorum ad Capitulum generale spectantia servabantur, ut existimavit. Nihilominus haec res speciatim atque expressis verbis in Constitutionibus ipsis non invenitur, sed solum ex variis locis concludi potest.⁴⁵

Alia autem mutatio in Constitutiones introducta est, quae spectabat ad iura monachorum, qui in regionem missionariam missi sunt atque ibidem diutius versabantur, operabantur atque vitam debebant. Nam eorum stabilitas translata est ad illud monasterium, ad quod in regione missionariā pertinebant, ita ut iura capitularia exercere possent.⁴⁶

Quod vero attinet ad ipsas regiones missionarias, in Constitutionibus anni 1921¹ sicuti iam antea⁴⁷ iterum praescriptum est, ut ad vitam monasticam Benedictinamque conservandam in missione quoque abbatiae atque Prioratūs erigerentur.⁴⁸ Sed - similiter ac antea - sub quibusdam condicionibus etiam

43 De hac re *cf.* supra adn. 33.

44 *Cfr.* Norberti Weber epistula circularis in fine m. Apr. a. 1921 data, p. 2 (ASO, K.1.1).

45 Ex. gr. cum coniungantur Cap. LXIV, decl. 2, can. 210 sqq., p. 50 sqq., quibus agitur de abbatibus Congregationis eligendis, tit. VI, can. 369, p. 85, ubi legitur: «*Ut Superior monasticus, si fieri potest, nominetur Superior Ecclesiasticus, dummodo sit ex nostra Congregatione*», tit. IX, cap. 428 sqq., p. 99, quo agitur de stabilitate missionariorum. Ceterum Norbertus Weber in epistolā circulari ad hōc punctum subiunxit hunc in modum archiabbatis ius, quo Superiores missionarios Sanctae Sedi proponere potest, eidem subtrahi, sed hōc fieri in salutem Congregationis (*cf.* p. 2 (ASO, K.3.1)). Tamen hoc mihi non ita manifeste apparere videtur, cum in Constitutionibus 1921, tit. II, can. 301, p. 71 legantur haec: «*Archiabbas Sedi Apostolicae eos, quos ad munus Episcopi, Vicarii vel Praefecti Apostolici idoneos putat, praesentat - excepto casu, quo Superiores ecclesiastici eliguntur - sed antea sententias monachorum illius Missionis discrete exquirat.*» (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

46 *Cfr.* Constitutiones 1921, tit. IX, cap. 429, p. 99 (ASO, K.1.1). - Difficultas enim antea erat in eo, quod monachi generaliter iura capitularia tantummodo illo in monasterio exercere potuerunt, in quo professi sunt. - Rem etiam explicuit Norbertus Weber in epistolā circulari in fine m. Apr. a. 1921 data, p. 2 (ASO, K.3.1).

47 Sic iam Constitutiones 1913, Decl. 3, p. 5 (ASO, K.1.1).

48 *Cfr.* Constitutiones 1921, tit. VI, can. 369, p. 85 (ASO, K.1.1).

Cellae permittebantur.⁴⁹ Itaque haec praecepta ex Constitutionibus anni 1913ⁱ suscepta sunt.

Generaliter autem hae Constitutiones retractatae in comparatione propositi anni 1920ⁱ melioratae esse videntur, cum non solum magis perspicuae reddita sint, sed etiam quaedam praescripta addubitata sint mutata structuraque clarior sit facta.⁵⁰

4.9.4. Archiabbatem Norbertum Weber denuo de muneris abdicatione cogitare

Difficultates, quae spectabant ad Constitutiones exarandas, illo tempore non erant unicae, quibus archiabbatia Ottiliensis et hunc in modum Congregatio quōque perturbabantur.⁵¹ Nam conventus monachorum videbatur quadamtenus discerptus, cum essent illi, qui severiorem modum regiminis desiderabant (qui dicuntur maior pars fuisse) et illi, qui benevolentiam archiabbatis abutebantur atque oboedientiam strictam non iam observabant (sicuti eis ab aliis opprobrio dabatur) et denique illi, qui plus minusve in medio stabant. Tales vero condiciones cohaerebant unā ex parte cum temporibus generaliter mutatis, alterā ex parte cum personā atque indole archiabbatis Norberti Weber. Dissensiones iam ita progressi erant, ut quidam Patres variis ex causis suā sponte Romam se converterent querimonias prolaturi.⁵² Ut exemplum qua-

49 Cfr Constitutiones 1921, tit. VI, can. 372, p. 86 (ASO, K.1.1), ubi leguntur haec: «*Ubicumque missionarii per Cellas distribuendi sunt, id requirendum atque curandum est, ut Cella saltem a tribus Religiosis Congregationis nostrae inhabitetur, quorum duo sacerdotes sint.*» - Textus originaliter Latinus. - Cfr etiam tit. I, can. 285, p. 67, ubi Cellae etiam «monasteriola» appellantur. - Tamen de numero monachorum non sufficiente eodem can. 372 dicitur «*talis Cellae erectio potius differatur, quam ut numerus praescriptus neglegatur.*»

Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 109 et adn. 222, qui existimat his rebus ius missionarium magis flexibile introductum esse.

50 Sic rem etiam diiudicat Cyrillus SCHÄFER (2005), pp. 109 sq.


51 De quibusdam problematis cfr iam supra cap. 4.9.1.

52 Talia interdum etiam in commercio epistulari Norberti Weber commemorabantur. Ei ipsi videtur non semper communicatum esse, qui esset auctor (sive auctores) querimoniarum, sed etiam nomen P. ris Dominici Enshoff apparuit. - Cfr ex. gr. Norberti Weber epistula die 6 m. Aug. a. 1921 ad Thomam Spreiter data (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5); Norberti Weber epistula die 23 m. Maii a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1 (Asien)).

damtenus significans affertur P.rem Meinulfum Küsters⁵³ mense Martio a. 1921ⁱ petitionem ad Congregationem Religiosorum misisse, quā rogavit, ut visitatio archiabbatiae extraordinaria fieret (quae denique non est facta).⁵⁴

Etiamsi huiusmodi conamina nullum effectum habuerunt, tamen propter condiciones generaliter vigentes tempore vernali a. 1921ⁱ Superiores Congregationis, qui propter Capitulum speciale convenerant, putaverunt ad statum stabiliendum utile atque necessarium esse, ut visitatio quaedam institueretur. Sed iam ab initio abbas Suarzacensis Placidus Vogel et abbas Swikkerperchiensis Coelestinus Maier, quorum fuisset hanc visitationem peragere, munus recusaverunt, cum timerent, ne ipsi ullum effectum haberent, quia nimis involutos esse existimarentur.⁵⁵

Problema, quod inde exoriri potuisset, solvebatur proposito, ut visitationem episcopus Thomas Spreiter perageret. Qui ad hoc munus suscipiendum etiam paratus erat, sed ad plures difficultates vitandas, cum Thomas Spreiter non esset abbas Congregationis, archiabbas Norbertus Weber existimavit melius esse hanc visitationem eiusque



Meinulf Küsters.
[ASO, A.1.8.2]

53 De P.re Meinulfo Küsters fusius aliis in conexibus agetur. - *Cfr* infra cap. 4.11, cap. 4.14. - Norbertum Weber et etiam Thomam Spreiter cum ipso etiam alias difficultates habuisse apparet ex eorum commercio epistulari. *Cfr* ex. gr. Norberti Weber epistula die 14 m. Mart. a. 1922 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5); epistula Thomae Spreiter die 31 m. Mart. a. 1922 ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

54 Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 110 sq. et adn. 227 hanc rem explicat ad petitionem Meinulfi Küsters referens, quam die 12^o m. Mart. a. 1921^o ad Congregationem Religiosorum miserat et quae in archivo illius Congregationis asservatur. Agebatur de aere alieno, quod cellerarius ad aedificia nova oeconomiae exstruenda (quae secundum opinionem Meinulfi Küsters non erant necessaria) contraxerat de consensu capituli non interrogans. Propter hoc aes alienum victum monachorum vehementer coartatum esse. Archiabbatem autem, quamquam saepius questus audivisset, rem non curavisse scripsit. Congregatio Religiosorum illas querimonias (auctorem non indicans) archiabbati transmisit, qui vero ex aspectu suo condicionem explicare potuisse videtur. Nam Abbas Primas eius argumenta secutus efficaciter rogavit, ut ab inquisitione in hanc rem desineretur.

55 *Cfr* epistula Norberti Weber die 24 m. Apr. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1 (Asien)). - *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 118.

modum ab Apostolicā Sede comprobatum iri.⁵⁶ Officiale petitionem ad hoc perpetrandum archiabbas die 28^o m. Iun. a. 1921^o Romam misit, quae rogatio ei etiam concessa est.⁵⁷

Sed in processū rerum paulo redire debemus. Nam omnes condiciones, dissensiones, resistentiae conventūs, repulsae, quas archiabbas unā cum nemiis laboribus annis praeteritis expertus est, effecērunt, ut Norbertus Weber fatigatus esset, saepius aegrotaret, animum depressum haberet atque confidentiam in ipsum impositam minui sentiret. Itaque sibi et Congregationi necessarium esse putavit - sicut iam duobus annis ante⁵⁸ -, ut munere suo se abdicaret. Hōc propositum suum ultimo die Capituli specialis, id est die 16^o m. Apr. a. 1921^o, longas explicationes de causis exhibens Praelatis prae-

56 Hunc in modum Norbertus Weber die 23 m. Apr. a. 1921 ad Abbatem Primatem scripsit (ASO, Z.1 (Asien)). - Thomas Spreiter, qui mense Maio a. 1921ⁱ Romae versabatur, cum secretario Congregationis Religiosorum de hac quaestione locutus est et in diario suo adnotavit (Tagebuch, 21.5.1921 (ASO, A.1.8.1)) eundem nullas difficultates videre, nisi forte Constitutiones Ottilienses talia vetarent.

57 Cfr petitio visitationis exhibendae die 28 m. Iun. a. 1921 data (ASO, A.3.3.4). Textus autem originaliter Latinus est hic: «Anno volvente facienda est Monasteriorum Congregationis nostrae visitatio canonica ordinaria. Iuxta Statuta nostra ea peragenda est in Archiabbatia Ottiliensi a duobus Abbatibus Assistantibus, in ceteris vero Monasteriis ab Archiabbate, ita tamen ut et Archiabbas et alteruter Abbas Assistens gravi negotio impeditus alii Congregationis nostrae Praelato committere possit, ut vices suas peragat.

Consideratis praesentium temporum condit[-c-]ionibus opportunum et R. mis Abbatibus Assistantibus et Oratori, ut pro maiore bono Monasteriorum pro hac vice visitatio canonica committatur Praelato, qui magna apud omnes gaudet auctoritate. Propterea et Abbates Assistentes et Orator unanimi consensu desiderant, ut Rms. et Illmus. D.D. Thomas Spreiter, Vicarius Apostolicus Daressalamensis et membrum Congregationis nostrae, visitationem peragat. Ipse, obtento S. Congregationis de Propaganda Fide consensu, promptus est ad dictum officium suscipiendum. Dubium vero movetur, num Abbates Assistentes ipsum ita delegare valeant, ut solus visitationem Archiabbatiae peragat.

Ut ergo omnes dubitandi vel contradicendi ratio e medio tollatur, superscriptus Orator humillime petit, ut Sancta Sedes suprema sua auctoritate declaret Reverendissimum D.D. Thomam Spreiter vi delegationis ipsius Archiabbatis utriusque Abbatis Assistantis solum omnia monasteria Congregationis in Europa sita hac vice canonice visitare posse, sacramque Congregationem ei in quantum necessarium videtur, facultatem visitationem rite peragendi conferre.»

58 Cfr supra cap. 4.9.2.1.

sentibus communicavit.⁵⁹ Itaque hac vice eius consilium statim pluribus innotuit atque sic speciem quadamtenus officialem habuit, aliter ac anno 1919^o, quo archiabbas de deliberationibus suis solum ad Abbatem Primate scripserat. Rogaverat enim Norbertus Weber insuper, ut Superiores Congregationis hanc rogationem suam resignationis Romae sustentarent. Praelati primo inter se de hac re colloquium instituebant, quo ad sententiam pervēnērunt muneris abdicationem archiabbati esse bonum, sed esse rem difficillimam.⁶⁰ Thomas Spreiter proposuit, ut Norberto Weber Vicariatum Apostolicum traderetur, ut abdicatio quam honorificentissima esset.⁶¹ Inter omnes (Norberto Weber quōque praesente) deinde convēnit, ut Thomas Spreiter paulo post Romae versaturus cum Abbate Primate atque cum Congregatione de Propaganda Fide de his quaestionibus, imprimis de secundo Vicariatū consultationes institueret. Protocollo autem Capituli specialis propositum Vicariatūs subiunctum est, sed ibīdem de muneris abdicatione archiabbatis nihil commemoratum est.⁶²

Tamen hōc in conexū iterum aliquid mirum afferendum est. Nam iam tempore pausa, quae inter duas partes Capituli specialis interposita erat, Thomas Spreiter die 19^o m. Mart. a. 1921^o - id est quattuor septimanis ante annuntiationem archiabbatis - epistulam ad Abbatem Primate direxit, quā praeter alia imprimis agebatur de internis difficultatibus Ottiliensibus atque de modo, quo Norbertus Weber ex munere archiabbatis amoveri posset.⁶³ Rogaverat autem episcopus Abbatem Primate, ut hanc epistulam secreto modo tractaret, quam quidem corde ingravato, sed ad auxilium ferendum scripsit, ut affirmavit. Ad condiciones explicandas de archiabbate dixit *«primo eum esse aegrotum atque eā de causā nimis infirmum atque muneri suo non iam parem esse, et secundo eum nimis infirmum esse, quia iam ex annis nimis*

59 Thomas Spreiter in diario suo die 16^o m. Apr. a. 1921^o (ASO, A.1..8.1) adnotavit hanc annuntiationem fuisse *«rem inopinatissimam - et tamen non ita inopinatam.»* (Textus originaliter Theodiscus).

60 Cfr Thomae Spreiter diarium, 17.4.1921 (ASO, A.1.8.1).

61 Ipse - ut dixit - Vicariatum sibi promissum potius renuntiare voluit, si necessarium esset.

62 Cfr Thomae Spreiter diarium, 17.4.1921 (ASO, A.1.8.1).

63 Cfr Thomae Spreiter epistula die 19 m. Mart. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Zentralarchiv: Archivi Inkamana, Z.3.0.1.4). - De hac epistula cfr etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 113; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 154 sq.; Godfrey SIEBER: The Benedictines of Inkamana. St. Ottilien 1995, pp. 50 sq.

aegrotus esset.»⁶⁴ Deinde explicuit totam miseriam in archiabbatiā vigente exoriri ex nimiā benevolentiā archiabbatis, quā nonnulli abuterentur. Archiabbatem non satis firmum severumque esse eumque punire non audere. Hunc in modum disciplinam laedi. Proposita autem, quae Thomas Spreiter ad difficultates solvendas exhibuit, erant éadem, quae postea in fine Capituli specialis protulit, nempe ut archiabbas redderetur Vicarius Apostolicus eique nova regio missionaria in Africā meridionali sita⁶⁵ traderetur. Hanc solutionem putavit esse optimam, quia 1. hunc in modum archiabbas honorifice ex munere amoveretur, quod supra vires suas esset, 2. ĩdem ut Vicarius Apostolicus cum hominibus selectis acturus esset, 3. diu salutariter operari posset, 4. valetudo eius in Africā melioraretur, 5. Thomas Spreiter putavit Norberto Weber facilius licentiam regionis intrandae praebere, 6. putavit Norbertum Weber hoc propositum libenter accepturum esse, quia opera missionaria facere desideraret.⁶⁶ Existimavit autem episcopus in salutem Congregationis celeriter agendum esse.⁶⁷

Illo tempore Abbas Primas Thomae Spreiter responderat se condicionibus valde sollicitum quidem esse, sed illā in re neque tam celeriter neque hunc in modum agi posse. Nam unā ex parte novam regionem missionariam non statim ab Congregatione de Propaganda Fide Vicariatum redditum iri atque praeterea institutionem novi episcopi consultationem plurium mensium exposcere, alterā ex parte esse rem intricatissimam abbatem ad totam vitam electum ex munere amovere, cum talis amotio plerumque monasterio esset magis detrimento quam emolumento. Se ipsum putare sibi non esse ius, quo primus talem gressum instigaret.⁶⁸ Conclusio autem erat in eo, quod Abbas Primas exspectare et denique nonnullis septimanis post episcopo Romae praesente consultationes inire voluit.

Episcopus Thomas Spreiter ergo hōc conamine Romae nondum quicquam

64 Thomae Spreiter epistula die 19 m. Mart. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen data, p. 2 (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.4). - Textus originaliter Theodiscus.

65 De hac re *cf.* infra cap. 4.10.1.1.

66 *Cfr.* Thomae Spreiter epistula die 19 m. Mart. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.4).

67 Mirum vero est Thomam Spreiter hanc epistolam maioris momento in diario suo omnino non commemoravisse, quamquam quasdam alias epistulas et missas et acceptas sive ad verbum describere sive earum argumenta afferre solebat.

68 *Cfr.* epistula Fidelis von Stotzingen die 15 m. Apr. a. 1921 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.4).

efficere valuit.⁶⁹ Tamen suspicandum est eum insequentibus septimanis quaedam suscepisse, quibus Norbertum Weber in directionem resignationis dirigeret, quae quidem archiablati ipsi non erat absona.⁷⁰

Ipse Norbertus Weber iam die 21^o m. Apr. a. 1921^o epistolam ad Abbatem Primatem misit, quā eum de consilio resignandi certiores fecit.⁷¹ Tamen duo aspectūs, etiam quod attinet ad progressum rerum, sunt commemoratū digni. Nam unā ex parte archiabbas iam satis clare expressit, etiamsi aliis occasionibus saepe causas difficultatum in indole suā propriā quaesivit, «*ita ut condiciones Ottilienses se habent et ut ipse easdem novi, electionem successoris et praesertim eius labores admodum difficiles fore*». ⁷² Alterā ex parte Norbertus Weber verba significantia protulit scribens sibi tantummodo agi de Congregatione atque de monasterio et subiungens haec: «*Itaque his verbis affirmo me omnibus rebus assentiri, quae de me fiunt. Si mihi manendum est, manebo, usque dum collabar. Dixi et salvavi animam meam. Si abire mihi licet, abibo gratiam Deo debens ...*». ⁷³ Inde mihi apparere videtur

69 Scripserat quidem Thomas Spreiter se haec omnia in salutem Congregationis facere (id quod ei certe credendum est), sed omnibus perpensis quaestio exoritur, num idem fortasse Norberti Weber successor in munere archiabbatis fieri voluerit. Cum, ut ipse verbis bene exprimere scivit, esset «*sodalis Congregationis maxime inveteratus, qui iam iuxta eius incunabula stetit, atque hierarchice esset summus particeps Congregationis*», fortasse putavit hoc munus (iam pridem) ei bene convenire, cum insuper fortitudo satis magna ei esset ad totam rem bene dirigendam. Similes deliberationes etiam profert Cyrillus SCHÄFER (2005), pp. 113 sq., qui tamen certe non falso putat Thomae Spreiter inclinationem missionariam nimis magnam fuisse, ut munus archiabbatis revera et in perpetuum habere voluisset.

70 Signum quoddam invenitur in epistolā Norberti Weber die 24 m. Maii a. 1921 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Zenzlarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5), ubi de muneris abdicatione leguntur haec: «*Intrinsecus satis tranquillus sum, quia mihimet ipsi dicere valeo me ea facere, quae conscientia mea et alii homines periti me iubent.*» (Textus originaliter Theodiscus).

71 Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 111 sq., qui textum huius epistolae, quae in archivio Sancti Anselmi asservatur, partim affert. Hac in epistolā Norbertus Weber scripsit se Superiores Congregationis rogavisse, ut votum resignandi sustentaret. Praeterea iam annuntiavit Thomam Spreiter, qui paulo post Romae versaturus erat, Abbati Primati de consilio rogationis relaturum esse. - Similia autem protulit in epistula, quam duobus diebus post, id est die 23^o m. Apr. a. 1921^o, ad Fidelem von Stotzingen direxerat (ASO, Z.1 (Asien)).

72 Verba - originaliter Theodisca - deprompta sunt ex Norberti Weber epistolā die 21 m. Apr. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directā. Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 112.

73 Verba - originaliter Theodisca - deprompta sunt ex Norberti Weber epistolā die 21 m. Apr. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directā. Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 111 sq.

Norbertum Weber iam illo temporis momento ultimum decretum de muneris abdicatione aliis et imprimis Abbati Primati imposuisse.

Si quis ergo putat hac epistolā, quā Norbertus Weber desiderium a munere se abdicandi protulerat, quaestionem resignationis statim solutam fuisse, errat. Nam tota res variis ex causis diutius protracta est.

Una ex illis causis erat in eo, quod solutio, quam ad munus archiabbatis honorifice finiendum sibi excogitaverant, nempe Norbertum Weber resignatione acceptā Vicarium Apostolicum redditum iri, praeparanda erat. Episcopus Thomas Spreiter ab die 30^o m. Apr. a. 1921^o usque ad diem 9^{um} m. Iun. a. 1921^o Romae versabatur,⁷⁴ ut - qui erat scopus principalis - de novā regione missionariā Congregationi Ottilianae in Africā meridionali tradendā consultationes iniret,⁷⁵ sed etiam ut de resignatione archiabbatis et de altero Vicariatū Africano cum responsalibus Romanis colloquia institueret.⁷⁶ Hac vero in quaestione frequentes consultationes variis cum personis instituendae erant, quas tamen Thomas Spreiter persuasibiliter atque efficaciter perduxisse videtur.

Dum Thomas Spreiter Romae versatur, Abbas Primas reliquos Superiores Congregationis epistulariter interrogavit, quid ipsi de muneris abdicatione archiabbatis sentirent. Accepit autem responsa et positiva et negativa.⁷⁷ Opiniones ergo Superiorum quōque hac in quaestione difficili non erant unani-

74 Spatium temporis, quo Thomas Spreiter Romae versabatur, ex eius diario (ASO, 1.8.1) apparet. - Cyrill SCHÄFER (2005), p. 115 per errorem indicat eum tantummodo usque ad diem 9^{um} m. Maii a. 1921^o ibidem fuisse.

75 De hac re ipsā *cfr* infra cap. 4.10.1.1.

76 *Cfr* ex. gr. Thomae Spreiter diarium (ASO, A.1.8.1) diebus 4 m. Maii a. 1921 (consultationes cum Abbate Primate de resignatione), 21 m. Maii a. 1921 (colloquium cum secretario Congregationis Religiosorum, qui nihil contra resignationem obiceret, tamen eandem doleret), 22 m. Maii a. 1921 (colloquium cum praeposito Congregationis de Propaganda Fide, qui archiabbatem fieri Vicarium Apostolicum putaret esse bonam solutionem), 2 m. Iun. a. 1921 (colloquium cum Abbate Primate, qui de quaestione cum Congregatione de Propaganda Fide consulere vellet). - De consultationibus Romanis *cfr* etiam Godfrey SIEBER (1995), pp. 52 sq.; Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 115 sq.

77 *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 114, qui epistulas in archivo Sancti Anselmi asservatas affert, quibus apparet ex. gr. Coelestinum Maier nullas mutationes in regimine fore praetulisse. Placidum Vogel, etiamsi merita archiabbatis in Congregatione dirigendā agnovit, tamen putavisse eundem ipsi archiabbatae praeesse non valere. - Epistolam quandam, quam hōc in conexū Placidus Vogel die 28^o m. Maii a. 1921^o ad Abbatem Primatem scripsit, etiam commemorat Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 155 sq.

mes.

Interea autem ipse Norbertus Weber post Capitulum intermedium labores suos modo solito iterum susceperat plurimum variis in officiis suis operatus. Nihilominus non solum corporaliter fatigatissimum se sentiebat (cum insuper difficile ei erat sibi parcere vel se reficere vel quosdam labores aliis tradere), sed etiam ob totam conditionem animum quadamtenus depressum habuisse videtur.⁷⁸

Nihilominus Abbas Primas archiabbatem Norbertum Weber rogavit, ut causas, quibus ad muneris abdicationem adductus esset, denuo exhiberet explicaretque. Id quod archi-



Archiabbas Norbertus Weber in grapheo suo.
[ASO, archivum imaginum.]

abbas die 24^o m. Maii a. 1921^o longā epistolā fecit.⁷⁹ Ibīdem primo de conditionibus, quo modo eas vidit atque expertus esset, rettulit respiciens etiam ad vigentia tempora mutata atque ad homines, qui intra monasterium ipsi oppositi essent. Se tales condiciones componere et in rectam viam iterum dirigere propter indolem suam non valere. Vires autem suas et físicas et psychicas magis magisque decrescere. Itaque salutem Congregationis poscere videri, ut alius, qui adhuc maiores vires haberet atque fortior esset, munus archiabbatis susciperet.⁸⁰ Tamen iterum problemata resignationis attigit, cum unā ex parte

78 Cfr ex. gr. Norberti Weber epistula die 13 m. Maii a. 1921 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5), ubi scripsit se existimare resignationem evitari non posse, cum ipse progressui Congregationis magis esset obstaculo quam emolumento. Difficulus enim laborari, cum confidentia deesset. - Norberti Weber epistula die 23 m. Maii a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen data (ASO, Z.1 (Asien)), quā dixit se propter querimonias (supra iam commemoratas) in desiderio resignandi confirmatum esse. Et subiunxit haec: «*Pugnam excipere non valeo neque eā de causā monasterium ingressus sum; ibīdem pacem quaesivi, quam magis magisque amitto.*» (Textus originaliter Theodiscus).

79 Huius epistolae in archivo Sancti Anselmi asservatae textum integrum exhibet Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 240 sqq. (Appendix).

80 Ut Cyrill SCHÄFER (2005), p. 116 recte adnotat, argumenta huius epistolae erant aliquā ex parte eadem ac Norbertus Weber iam mense Decembri a. 1919ⁱ protulerat, quo iam de

de famā dignitateque archiabbatiae atque Congregationis ageretur, alterā ex parte successor easdem difficultates inveniret ac ipse (etiāsi eas fortasse melius tractaret). Sed iam hac in epistolā Norbertus Weber solutionem, quam «*Reverendissimi Praelati Congregationis nostrae sibi excogitaverunt*», recusavit. Nam Vicarius Apostolicus fieri noluit. Talis cogitatio ei videbatur absona. Praeter vires minutas, quae ad tale munus exanclandum non sufficerent, aliam quōque causam attulit, quae in se est satis rationabilis atque intellegibilis. Scripsit enim praecavendum esse, ne is, qui se non esse habilem ad regimen sustinendum satis superque praestitisset, denuo tale munus susciperet.⁸¹ Num Norbertus Weber revera ad munus regiminis exanclandi non fuerit habilis, est alia quaestio. Sed argumentum in se est validum.

Conclusio autem omnium argumentorum erat in eo, quod rogavit, ut ab munere suo solveretur. Tamen reliquae cogitationes Norberti Weber etiam sunt exhibendae, quae quōque alicuius momenti esse mihi videntur. Nam statim subiunxit se nolle esse iudicem in propriā causā et Abbatem Primatem atque Praelatos Congregationis scire debere, quid faciendum esset.⁸² Etiāsi partes suas abbatis de munere abdicati nondum revera imaginari posset, se omnia submitte in manūs Abbatis Primatis ponere et se decretum oboedienter accepturum esse, quomodocumque eveniret.⁸³ Ex talibus verbis apparere videtur Norbertum Weber ultimam responsalitem resignationis suae aliis relinquere voluisse, cum ipse aliquatenus discerptus esset inter desiderium resignandi et voluntatem remanendi.

Interea autem Thomas Spreiter rem Romae secundum proposita sua sedulo, pertinaciter atque efficaciter egit. Revera contigerat, ut altera regio missionaria in Africa meridionali institueretur, nempe Transvalia orientalis, quae verisimiliter Congregationi Ottilianae contribueretur⁸⁴ et quam Thomas

muneris abdicatione agebatur. - *Cfr* supra cap. 4.9.2.1.

81 Simili modo Norbertus Weber epistolā die 4 m. Iun. a. 1921 datā ad Thomam Spreiter scripsit (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5). - Thomas Spreiter in diario suo (28.5.1921) (ASO, A.1.8.1), cum referret Norberto Weber cogitationem Vicariatūs suscipiendi videri absonam, adnotavit haec: «*Hoc solum is putat.*»

82 Eodem die, id est die 24^o m. Maii a. 1921^o Norbertus Weber Thomae Spreiter epistulariter nuntiavit se votum suum ad resignationem spectans Abbati Primati misisse et se Abbati Primati atque capitularibus de hac re decernendum relinquere (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

83 Similia archiabbas iam antea protulerat. *Cfr* supra adn. 73.

84 De hac re *cfr* Godfrey SIEBER (1995), pp. 52 sqq.

Spreiter archiabbati Norberto Weber ut Vicario Apostolico tradi voluit.⁸⁵ Insequentem modum procedendi, qui ei utile esse videbatur, episcopus praeterea sibi iam excogitaverat hunc in modum: archiabbas celeriter petitionem resignationis ad Congregationem Religiosorum mitteret oportebat, et hōc quidem ante visitationem inchoatam, ne suspicio exoriretur muneris abdicationem esse effectum visitationis. Muneris abdicatione acceptā novus archiabbas eligi et Norbertus Weber Vicarius Apostolicus reddi posset. Sic Norbertus Weber Capitulum generale eodem anno instituendum ut Praelatus participare posset. Cum cardinali Villoelmo van Rossum, Praefecto Congregationis de Propaganda Fide Thomas Spreiter constituit, ut archiabbas in petitione officiali causam resignationis esse valetudinem affectam indicaret.⁸⁶ Haec omnia Thomas Spreiter etiam archiabbati communicavit significans tempus propter proximum Capitulum generale urgere. Expectaverat autem episcopus Norbertum Weber secundum proposita statim acturum esse. Tamen erravit. Nam archiabbas hunc in modum munere se abdicare satis stricte recusavit. Primo Thomae Spreiter nuntiavit - id quod iam antea compluries asseveraverat - ex causis iam prolatis se munus quoddam praepositi non iam suscepturum esse, quā de causā solutio Africana non veniret in quaestione.⁸⁷ Similiter etiam ad Abbatem Primatem scripsit, sed eidem etiam alia argumenta exhibuit.⁸⁸ Nam Norbertus Weber putavit valetudinem suam resignationis causam afferre non esse opportunum, cum unā ex parte ipse in operando numquam valetudinem suam respexisset, alterā ex parte vere mirum videri, si ex tali causā resignatus deinde munus Vicarii susciperet, quod magis laboriosum esset. Se ergo potius praeferre visitatione habitā sibi propter inertiam munus demi. His rebus prolatis Norbertus Weber Abbatem Primatem directe interrogavit, num petitio formā propositā sibi facienda esset. Se id facere paratum esse, si Abbas Primas directe diceret se hōc velle, cum tali nutū idem significaret melius esse alium archiabbatem monasterio atque Congregationi praefuturum esse.

85 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 27.5.1921 (ASO, A.1.8.1); Cyrill SCHÄFER (2005), p. 116.

86 De his praedeliberationibus totius modi procedendi *cfr* Thomae Spreiter diarium, 3.6.1921 (ASO, A.1.8.1); Cyrill SCHÄFER (2005), p. 116.

87 *Cfr* Norberti Weber epistula die 4 m. Iun. a. 1921 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

88 *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 117, qui argumenta epistulae Norberti Weber die 16 m. Iun. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directae affert, quae epistula in archivo Sancti Anselmi asservatur.

Iterum - sicuti iam fecerat - Norbertus Weber Abbati Primati responsalitem resignationis suae imposuit. Argumenta autem, quae archiabbas contra progrediendi modum propositum protulit, sunt quidem quādam ex parte valida. Nam iam mature dixerat se Vicarium Apostolicum fieri nolle, tamen alii hōc votum expressis verbis prolatum non satis bene auscultaverunt (vel auscultare noluerunt) et viam suam praedispositam secuti sunt. Alterā ex parte argumentum, quo dixit se munus laboriosissimum Vicarii suscipere non posse, postquam valetudinis affectae causā munus archiabbatis deposuit, non omnino est respuendum. Tamen resignationis causam, quae ad valetudinem revera affectam spectat, afferre per se non erat malum et ab omnibus intellegeretur. Itaque sententia Norberti Weber, quā propter inertiam ex munere amoveri praeferret, erat prorsus absona (et aliquatenus provocans), cum de famā quōque archiabbatiae et Congregationis cogitandum esset.⁸⁹ Itaque suspicio quaedam exoriri potest archiabbatem illo tempore munus suum non iam revera deponere voluisse.⁹⁰

Sed etiam alii illam cogitationem, quā archiabbas munus suum depositurus esset, non ita gaudenter perceperunt. Nam quamquam Superiores hōc propositum nondum inter omnes divulgare voluerant, tamen notitia de hac re paulatim etiam ad reliquos monachos pervēnit.⁹¹ Plures autem eorum ad Abbatem Primatem scripserunt rogantes, ut resignatio archiabbatis averteretur, quae Congregationi esset calamitosa.⁹² Sed etiam Abbas Primas ipse muneris abdicationi non iam ita favit.⁹³ Nam mense Iulio a. 1921¹ idem ad Thomam Spreiter scripsit resignationem archiabbatis tantummodo in casū extremae necessitatis accipiendam esse, cum abbates ad totam vitam electi

89 *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 117 sq., qui rem similiter diiudicat.

90 Fortasse iam in fine Capituli specialis, quo muneris abdicationem annuntiavit, non omnino recedere voluit, sed magis a Thoma Spreiter impulsus est, ut denique hunc gressum faceret. Nonnulla signa talem interpretationem fulcire videntur, velut illa conamina Norberti Weber, quibus ut Abbas Primas definitive de muneris abdicatione decerneret, eidem suggerere voluit.

91 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 15.6.1921 (ASO, A.1.8.1); Cyrill SCHÄFER (2005), p. 115. - Videtur ipse Norbertus Weber cum nonnullis confratribus de hac re locutus esse.

92 Hōc commemoravit Fidelis von Stotzingen in epistolā die 21 m. Aug. a. 1921 ad Thomam Spreiter datā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.4). - *Cfr* etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 115 et adn. 245, qui nonnulla exempla affert.

93 Fortasse numquam huiusmodi abdicationi muneris revera favit, ut ex ipsius reactionibus cautis lentisque hac in re apparere videtur. Insuper - uti iam commemoratum est - Fidelis von Stotzingen erat cum Norberto Weber amicitia quādam coniunctus.

essent fundamentum Constitutionis Benedictinae.⁹⁴ Et mense Augusto a. 1921¹ deliberavit, num solutio satis simplex problematis esset in eo, ut muneribus archiabbatis atque Superioris generalis separarentur, quia unus vir tot et tanta opera cohaerentia vix solus efficere posset.⁹⁵

Tota autem res magis perturbabatur epistolā P. ris Petri Wachter, secretarii archiabbatis, quam suā sponte ad Abbatem Primate[m] miserat et quā ei nuntiavit archiabbatem retractioni resignationis assensum esse, quā de causā muneris abdicatio putanda esset transacta.⁹⁶ Quid autem factum erat? Retraxitne Norbertus Weber revera resignationem suam? Videtur non ita esse. Sed P. Petrus Wachter et Superiorissa Sororum Tutzingensium archiabbati persuadere conati sunt, ut hoc faceret. Cum idem non quidem esset assensus, sed revera nihil directe respondit, eum interrogaverunt, num eius taciturnā assensione positā hunc in modum Abbati Primati referre liceret. Cum etiam ad hanc quaestionem nullum exactum responsum accepissent, putaverunt se sic facere posse et epistula est missa. Tamen huiusmodi epistolā - nihil refert, quid archiabbas dixerit vel non dixerit - non potest esse officialis retractio alicuius resignationis, cum ipse, ad quem haec res pertineret, talia facere obligatus fuisset, ut valerent.

Nihilominus Abbas Primas Thomam Spreiter de hac epistolā certiore[m] fecit, ut idem sciret, quid fieret. Episcopus scilicet hac actione - caute dictum - non erat oblectatus, imprimis cum Norbertus Weber modo se gerendi eandem fieri passus esset. Ei denuo erat signum inconstantiae, quam archiabbati opprobrio dedit. Itaque etiam fuse atque multipliciter apud Abbatem Primate[m] questus est, quia talibus actionibus omnes labores, quos ad resignationem efficiendam (ceteroquin illo tempore inevitabilem, ut existimavit) suscepisset, perturbarentur.⁹⁷

94 *Cfr* Godfrey SIEBER (1995), p. 53, qui partem huius epistolae die 22 m. Iul. a. 1921 ad Thomam Spreiter directae, quam in linguam Anglicam verterat, affert.

95 *Cfr* Fidelis von Stotzingen epistula die 21 m. Aug. a. 1921 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.4). - Hanc epistolam etiam commemorat Godfrey SIEBER (1995), p. 53.

Mirandum autem est hoc propositum Abbatis Primatis, cum ipse in conexū Constitutionum anni 1920¹, quibus talis seiunctio munerum introducta erat, eidem vehementer contradixit. - *Cfr* supra cap. 4.9..2.3.

96 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 26.8.1921, 28.8.1921 (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 121.

97 *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 26 m. Aug. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.4). Ceterum Thomas Spreiter illā in

Sed ipse Abbas Primas bene scivit tali epistolā, qualem P. Petrus Wachter scripsit, omnino nullum effectum habere ad archiabbatis resignationem vel eiusdem retractionem. Tamen ea, quae Abbas Primas episcopo respondit, certe nihil ad eius tranquillitatem augendam eiusque consolationem attribuit. Nam asseveravit archiabbatem usque ad illum diem numquam officialem canonicamque petitionem resignationis ad ipsum misisse, sed eum solum in epistulis privatis de muneris abdicatione locutum esse. In officialibus actis Congregationis Religiosorum itaque nihil huiusmodi inveniri.⁹⁸

Tali ergo perceptione condicionum illo temporis momento tota muneris abdicatio archiabbatis in aëre haerebat et praeter Thomam Spreiter illis mensibus nemo hunc scopum stricte secutus erat.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 196, 2014, pp. 221-242]

epistolā praeter alia scripsit quōque Ottiliensis monachos oppositos non Norbertum Weber amoveri velle, sed illos viros, qui maiorem severitatem disciplinamque postularent. - Thomas Spreiter certe aliquatenus recte iudicavit. Tamen monachi oppositi potius illi erant, qui severiorem disciplinam desiderabant et eā de causā Norbertum Weber ab munere se abdicare voluerunt (ad quos ipse quōque episcopus pertinebat).

Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 121. Etiam Godfrey SIEBER (1995), p. 54 et Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 156 sq. hanc epistolam commemorant uterque scribens Norbertum Weber resignationem suam retraxisse.

- 98 *Cfr* Fidelis von Stotzingen epistula die 28 m. Aug. a. 1921 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.4). - *Cfr* etiam Godfrey SIEBER (1995), p. 54; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 122. - Godfrey SIEBER (1995), p. 54 locum ex epistolā Abbatis Primatis depromptum (et in linguam Anglicam versum) affert, quo legitur Abbatem Primate[m] scripsisse «resignationem archiabbatis tunc temporis maximam perturbationem in Congregatione efficere». Sed in Theodisco textū originali illo loco non agit[ur] de archiabbate (neque eius nomen neque eius titulus nominantur), sed de episcopo Thoma Spreiter, qui dubitaverat, num ipse rebus sic stantibus visitationem exhiberet. Abbas Primas illo loco epistolae ei dissuasit, ut ex illo officio se retraheret, cum sic «maxima perturbatio in Congregatione fieret».